



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann



PRÆCOGNITORUM THEO-
LOGICORUM
DISPUTATIO VI.

DE TRIBUS RE-
LIQUIS MEDIIS AC-
CURATÆ COGNITIONIS THE-
OLOGICÆ, QUÆ SUNT. I. PRÆLE-
CTIONUM ALIQUOT PUBLICARUM
FREQUENS ET ASSIDUA AUSCULTA-
TIO. II. EXERCITIA DISPUTA-
TORIA, ET III. EXERCITIA
CONCIONATORIA.

Quam

Deo Trinuno auspice

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI,

S. S. Theol. Doct. & Prof. P. Præceptoris sui vultu
quo decet æviternum suspiciendi.

*In Incluta Wittebergensi Academia
placida collationi subiicit.*

M. CASPARUS CONRADUS SAHERUS Curia-
Variscus S. S. Theol. Studios.

*Ad diem 27. April. horis pomeridianis
in Collegio Veteri.*

ANNO quo;

*Christiani nova stagitata Vin' pVLpita, Lector?
IVra av/CVLtandi Vin' nova Pythagora?
TheologI Vin' vostra nova, & Celstora perICLI?
Nostra eqVè; SaCros inspICE rltè Libros.*

Wittebergæ, Typis JOHANNIS GORMANNI.

ERRATA
DE TRIBUS RE-
LIQUIS MEDICIS AC-
CURATE COGNITIONE THE-
OLOGICA QUAE SENTITUR IN RE-
CITATIONE ALIQUOT PUBLI-
CATIONUM QUAE IN ANNO 1784
PUBLI-
CATAE SUNT
D. B. CASPARIUS SAHARIUS
M. CASPARIUS SAHARIUS
Wittenbergae, Typis Johannis Gleditsii





בשם יהוה אלוהינו חנו
ורב חסד

DISPUTATIO VI.

CONTINUATIO.



Actenus ~~per~~^o media accuratæ cognitionis Theologicæ luculenter delineavimus, restat nunc, ut residua tria pertexamus. Ut enim neq; in pictura neq; in statuaria artifex renuntiabitur is, qui tantum novit primas ducere lineolas, aut fortassis ad unum exemplar rem quampiam

utcunq; effingere; sed necessum est, paulatim alias post alias imagines atq; figuras exprimat, postmodum aliquoties specimen sui profectus edat: Ita profectò nequaquam perfectus Theologus vocabitur is, qui solummodo superioribus disputationibus proposita præexercitamenta probè notârît; & non insuper hæc tria reliqua media ac remedia, quæ hac velitatione, auspice Christo, breviter pertractanda suscepimus, addiderit.

THEOREMA. I.

Nonum medium est frequens & assidua aliquot prælectionum publicarum auscultatio.

Philosophi sanè Prisci discipulos suos volebant esse *ἀκροῦς*, eosq; non ad diem, non mensem, non ad unum annum, sed integrum quinquennium, ad minimum biennium taciturnos voluerunt, antequam ad Secretiora Philosophiæ sacra admitterentur: Quantò magis eos, qui aliquando Ecclesiæ præficiendi sunt,



audire prius decet, quæ cum fructu aliquando docere volunt?
D. Apostolus Paulus Timotheum suum, & in ejus persona Eccle-
siæ ministros omnes vult enutritos esse in verbis fidei & bonæ
doctrinæ, 1. Tim. 4, v. 6. Enutritio verò fit præceptorum operâ,
qui quasi Patres sunt ministrorum verbi, quos gignunt per fide-
lem institutionem in Evangelio Christi. Hi diligenter audiendi
sunt, juxta illud: *Antequam loquaris disce, Syr. 18, v. 19.* Nam ho-
rum institutio, non solum eruditionem augere, verum etiam imi-
tatio *διδασκῆς* reddere, donum docendi parare, vitamq; infor-
mare potest. *Habet enim nescio quid latentis energie viva vox,* inquit
Hieronymus ad Paulinum, *& in aures discipuli de ore auctoris trans-*
fusa fortius sonat. Quin immò Deus peculiarem benedictionem, gra-
tiam, & Spiritus Sancti efficaciam piis conventibus, qui in Ec-
clesiis & Scholis instituuntur, promisit. *Exod. 20, v. 24. Matth. 18,*
v. 20. Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio
eorum. Adhæc accedunt exempla Sanctorum in Veteri ac N. T.
quæ abundè testantur, vivæ vocis informationem futuris Eccle-
siæ ministris fuisse vel maximè commendatam. Patriarchæ suc-
cessoribus suis capita doctrinæ vivâ voce tradiderunt, quæ non-
dum in literas erant redacta. Ita Prophetarum filii suos audie-
runt præceptores Prophetas, in quorum Scholâ enutriti fuerunt
in verbis fidei & bonæ doctrinæ, & Paulus se ad pedes Gama-
lielis sedisse fateri non erubescit, *Act. 22, v. 3.* multò minus alios pu-
deat suos in Scholis audivisse præceptores, & sub eorum mode-
ramine disputationum & Homiliarum Ecclesiasticarum *ἁγίων*
ῥημάτων instituisse. Hæc enim sunt ordinaria media comparan-
dæ eruditionis, per quæ Deus donum illud docendi, quod in pu-
blicis congressibus est necessarium, largiri solet, semperq; melius
est præceptoribus præsentibus talia instituire exercitia, fieri e-
nim non potest, ut primo statim in limine omnia solida sint ac
perfecta, cum nemo nascatur artifex. Monitoribus ergo opus
est, qui fideli institutione defectus tollere, naturalia excolere ac
limare possunt. Unde tandem, Deo largiente virtutem, donum
docendi nasceretur, si non in omnibus summum ac exactum, tale
tamen, quod Ecclesiæ Christi magno cum fructu inservire possit.
Hisce omnibus autem destituuntur *ἀυτοδιδασκῆς*, qui nunquam
cum

cum fructu in studiis versantur, quia neminem lubentius audiunt, quam se ipsos, & ut simia in purpura sua: Ita ipsi in docendi dono sibi solis placent. Hæc singula quemvis ad auscultationem frequentem incitare sufficiunt.

THEOREMA II.

Decimum medium sunt Exercitia Disputatoria. Ubi I. Notari debet Disputationum Theologicarum usus, qui multiplex est.

Nam I. faciunt *περὸς διδασκαλίαν*, vel ad veritatis ignotæ inquisitionem, obscuræ declarationem, dubiæ confirmationem, & à nobis exquisitam & promptam explicationem. Disputatio namq; est collatio vel collocutio duorum de re sive quæstione probabili ad indagandam veritatem; Unde Picus Mirand: eam vocabat *cribrum veritatis & suavissimum animæ cibum*. Et Scaliger: Exerc. 308. ait: *Sicut lapidum collisione ignis: ita ex dissertatione elicitur veritas.* 2. Facultatem *ἐλεγχτικὴν* conciliant, ut cum Adversariis coram congregari eosq; eo facilius atq; animosius refutari possimus; tunc enim veritatis specimen clarius cognoscere satagimus, cum in contrariam partem oculus flectitur. 3. Conducunt insuper ad facultatem *ἐρμηνευτικὴν*, quia ibi multos & difficiles scripturæ textus solidè & sæpè ex tempore explicare discimus. 4. Promovent eloquentiam & parant expeditam loquendi facultatem. 5. Formant acuuntq; iudicium de rebus gravissimis. 6. Juvant memoriam. 7. Eximunt scrupulos dubitationum falsasq; opiniones, & nos in veritate cœlesti vehementer confirmant. 8. Docent ad usum transferre illa omnia, quæ privatim fuere observata, & faciunt profectus proprios viresq; eruditionis cognoscere. 9. Mores etiam convenienter formant, dum assuefaciunt ad virtutes homiliticas, ad humanitatem, candorem, modestiam, verecundiam, docent frenare iram, liberant animos morbo *φιλαυτίας*, adeoq; sunt *προφυλακτικὰ* vitiorum, & *ὀρμητικὰ* variarum virtutum. 10. Tandem præstant etiam hunc usum, ut Doctores de auditorum ingeniis & studiis rectius judicare, aliis veracius commendare & tanquam idoneos vel ad functionem Scholasticam vel Ecclesiasticam promovere possint.



THEOREMA III.

II. Scopus & finis qui vel est Propinquus, vel Remotus & ultimus.

Propinquus est & esse semper debet indagatio purioris doctrinæ & cœlestis veritatis, ad quam remotis cunctis affectibus & παρέρυοις omnia debent esse comparata.

Remotus autem ultimusq; sit partim Ecclesiæ ædificatio, partim nominis divini gloria.

THEOREMA IV.

III. Principium ex quo disputandum: hoc vel est Primarium & independens; vel Secundarium & dependens.

Primarium est sola & unica scriptura, tanquam perfectissima norma omnium in Ecclesia credendorum & agendorum.

Ad hanc etiam referimus analogiam fidei, cujus fit mentio, Rom. 12, v. 6. per quam intelliguntur generalia ex scripturis deducta & utrinq; concessa axiomata. Harmonia insuper & consensus capitum fidei, cum quibus quicquid consonat pro vero; à quibus quicquid dissonat pro falso merito haberi debet.

Secundarium principium sunt 1. *Consensus & autoritas prisca Ecclesiæ*, cujus sententia ex conciliis, Patribus & historia Ecclesiastica cognosci potest, multumq; facit ad confirmandum dogma dubium, siquidē quod prisca & purior jam olim credidit Ecclesia, istud merito à nobis etiā suscipiendum est. 2. *Consensus & autoritas librorum Symbolicorum*, qui licet ab Adversariis non recipiantur, apud nos tamen magnum debent obtinere momentum. 3. *Recta ratio* ex cujus principiis probari quidem nequeunt mysteria fidei, nonnunquam tamen illa illustrari, & sæpè nimis crassa hæreticorum dogmata, ipsorumq; Sophismata fortiter confutari possunt. 4. *Adversariorū propria confessio*, quæ certum victoriæ indicium, vel ad minimum hypotheses ipsorum, ex quibus nostra sententia probari, eorum verò refutari adeoq; ipsi contradictionis argui queunt. Summatim loquendo disputandum est piè, ne contra scripturam; modestè, ne contra Ecclesiam; sobriè, ne contra rationem; candidè, ne contra conser-

conscientiam aliquid itatuatur, vel Adversariis affingatur, tandemq; prudenter, ut si possibile, ex propriis verbis & hypothefibus refutentur.

THEOREMA V.

IV. Ulterius circa hoc medium attendi debet Materia vel Objectum, de quo disputandum.

Ut statim in promptu sit, qua de re sive Materia principaliter quaestio instituat, quidq; praeter ceteris magis vel impugnetur vel defendatur *θελημῶς* seu assertivè, ante omnia ponenda est materia, & ita certis thesibus vel paucis vel pluribus comprehendenda; Unde est, ut materia disputationis in specie nomine *θέσεως* veniat.

THEOREMA VI.

Differatur autem 1. de quaestionibus scitu necessariis, non de otiosis & supervacaneis.

Quid enim attinet quærere: Quot vicinus in ædibus habeat tegulas? Quot alat gallinas & anseres? Myrmecidas Milesius, & Callicrates Lacedaemonius olim quadrigas fecere, quæ sub alis muscæ possent abscondi, & sesamo litteris aureis distichon inscribere, quæ opera Ælianus nuncupat *vanam temporis perditionem*. Idem profectò jure potest optimo dici de iis, qui frivolis & ineptis istis quaestionibus exagitandis omne tempus conterunt. Vid. D. D. Præs. Sob. Phil. part. 1. p. 366.

THEOREMA VII.

2. Similiter disputetur de quaestionibus fructuosis & ad edificationem fidelium conducentibus, non autem de talibus, quæ vel DEI honorem, vel fidem & pietatem ledunt, atq; scandalum præbent.

Problemata pernicioosa sunt ea omnia, quæ vel in scripturam, vel in Ecclesiam, vel in conscientiam, vel rationem propriam impingunt. Hæ enim sunt quatuor istæ normæ, in singulis disputationibus & quaestionibus sedulò observandæ. Quare si quaestio mota ab his videatur discedere, rejicienda potius est quàm ventilanda. Innuat hoc ipse Philosophus, qui citante Mor-

nao.

nao l. de verit. relig. Christ. c. 11, p. 213. dicere fuit solitus: (Alio atq; alio modo quaestionibus responderi debere. Quærunť quidam, An ignis caleat? fac ignem, tangant; sensus ipse idoneus, qui ejusmodi quaestioni respondeat. Nonnulli utrum parentibus honor debeatur? Hos increpa acriter. & objurga: Nec enim digni sunt, quibus cum disputes. Exigunt alij, ut sibi evidentibus rationibus probetur providentia, quã regitur mundus? Flagris nefarii isti excipiendi sunt, nec veri Philosophi verba, sed carnificis verbera merentur. Gravẽ itaq; hoc Philosophi Ethnici judicium opponendum est Calvinianis, qui quaerunt: An DEUS sit causa & auctor peccatorum? Quid enim magis lederet pietatem aut religionem, quam de DEO summo illo & infinito bono, disceptare, an mali causa sit? Dn, D. Præf. Sob. Phil. part. 1. p. 365.

THEOREMA VIII.

3. Præterea disputetur de quaestionibus cognoscibilibus & in Scriptura definitis, non autem de curiosis captumq; nostrum transcendentibus.

Duplicia autem sunt incognoscibilia, de quibus disputandum non est. I. Sunt ἀγνωστα ἀπλῶς, incognoscibilia absolute, quæ in hac vita prorsus sunt impossibilia scitu, ob intellectus nostri imbecillitatem. Hæc iterum sunt duplicia. Vel sunt 1. ἀγνωστα φυσικά, hoc est, incognoscibilia naturalia, vel 2. ἀγνωστα ὑπερφυσικά, hoc est, incognoscibilia supernaturalia. 1. φυσικά ἀγνωστα sunt, quæ in natura quidem occurrunt, per nos autem cognosci nequeunt; 2. ὑπερφυσικά ἀγνωστα sunt, quæ res divinas & spirituales, in se quidem veras certasq;, nobis autem & ineffabiles & incomprehensibiles, attinent. De talibus disputare velle hominis itidem insani est & fatui. Quadrat enim huc illud Sirac. 3. v. 27. *Altiora te ne quaeris.* & Prov. 25, v 27. *Scrutator majestatis opprimetur à gloria.* Quare semper memores simus regulæ. D. Ambrosij, quam posuit l. 1. de voc. gent. cap. 8. *Ne appetamus habere cognitum, quod DEUS voluit esse secretum.* Augustinus quaestionibus, quid fecerit DEUS ante conditum mundum? Respondisse vulgò fertur; *Præparasse infernum curiosa sciscitantibus;* Unde enati Poetæ versiculi ab omnibus altiora quaerentibus considerandi;

*Quaerens Augustinè Pater, quid fecerit ante
Principium, quo sunt condita cuncta, DEUS.*

Infernum

Infernum fabricasse refers quærentibus ista,

Quo pœnas merito, quas meruere luant.

Discite nasuti; quisquis mysteria verbi

Implicat ingenio desipiente, perit.

II. *Quædam sunt ἀγνώστῳ πῶς vel κατὰ τι, seu incognoscibilia respec-*
tive, quæ sic dicuntur, non quod omninò à nobis cognosci ne-
queant: sed respectu certæ disciplinæ, per cujus principia atq; a-
xiomata indagari nec possunt nec debent. Atq; de talibus ἀγνώστοις
in ista & per istam disciplinā disputari non debet. Fieret enim hac
ratione μεταβάσις εἰς ἀλλογένοσ. Contra hoc præceptum peccant
omnes, qui de Deo & rebus divinis ex Philosophia, in qua tamen
objecta illa prorsus sunt ἀγνώστα, disputare præsumunt, id quod
Calvinianos facere manifestius est, quàm ut multis demonstrari
opus sit. D E I I M, quæso per D E I I M, omittamus, nam quæ supra nos,
nihil ad nos, dicebat olim Socrates; quod Ethnici hominis di-
ctum, si pensi haberent Calviniani, in articulos fidei nunquam
adeo forent contumeliosi. Caveamus ergo de rebus in Philoso-
phia ἀγνώστοις ex Philosophia disputare, ne juxta Chrysostomi
sententiam, candens ferrum digitis, non forcipe contrectemus. Habe-
mus firmiorem sermonem Propheticum, 2. Pet. 1, v. 19. hic nor-
ma, hic canon sit omnium disputationum Theologicarum. Ex
verbo Dei, non dictatis Philosophiæ, petendæ sunt demonstra-
tiones sacræ, si ὁμογένεια τῶν ὀργῶν observari debeat. Vide 1. part.
Sobr. Phil. Dn. D. Præsidis. p. 376.

THEOREMA IX.

4. *Deniq; de questionibus dubiis & aliquam in Theolo-*
gia difficultatem habentibus, non autem de rebus planè ma-
nifestis, & extra omnem dubitationis aleam positus disputa-
ri debet.

Notum enim est, quod si qui disputare velint, primò po-
nenda sit materia de qua disceptent. Illa jam semper est res du-
bia sive quæstio probabilis, ita scilicet, ut in utramq; partem ven-
tilari possit; Alias enim vel frustra disceptaretur, vel ne possit
quidem de illa in utramq; partem & affirmando & negando, vel
opponendo & respondendo disputari. Contra hanc regulam.

B

fapè

sæpè peccârunt Philosophi prisci disputantes; *An sit Sol? An detur motus? An nix sit alba &c.* sensum ipsum idoneum esse qui ejusmodi quæstioni respondeat, ajebat Aristoteles. *Soli ne obloquitur*, monebat Pythagoras. Quare in talibus quæsitis ventilandis & confirmandis multum operæ temporisq; non ponamus, cum ipsorum decisio vel ex sensuum judicio sit manifestissima. Peccant quoque contra hanc regulam Calviniani, manifestissima scripturæ dicta pervertentes, omnem priorum communicationem (cum sensus ipse in ferro ignito contrarium testetur.) Deumq; hypocritam statui negantes, etiamsi aliud dicat foris, aliud intus decernat, cum tamen hæc manifestissima sint *ἔκστασις* indicia. Non igitur opus, ut multum cum iis de ejusmodi problematibus disceptetur, quoniam ipsos errare in aprico est, & de iis verissimè dici potest illud Hieronymi in Epistola ad Ctesiphont: *Sententias vestras produisse superasse est. Patet primâ fronte blasphemia. Non necesse habet convinci, quod sua statim professione blasphemum est.*

THEOREMA X.

V. Forma vel modus disputandi, qui explicari potest regulis, partim generalibus, partim specialibus.

Postquam ergo materiam ad disputandum proponendam determinavimus, jam transitum facimus ad formam. Parum namque est scire disputantes, nisi scias eorum studia ac officia, è quibus dignoscere habeas, an rectè disputent nec ne? Proinde ut propiùs accedamus ad modum disputandi exquirendum & exhibendum, nunc porrò studiosè attendamus, quid potissimum in actione disputantium tenendum, quomodo disputatores coram congregari debeant, & quæ in primis suâ solertiâ, curâ & intentione quivis disputator respiciat, affectet, urgeat. *Hoc opus, hic labor est.* Ut autem hic conatus tyronum magis magisq; juvemus, ita hanc palæstram instruemus, ut studia disputantium tam generalia, quam specialia proponamus, quæ in contentione sive ipso conflictu vigere debeant.

THEOREMA XI.

Presupponimus autem hic Canones generalissimos in omni Disputatione, qualiscunq; illa sit observandos, quorum sunt Octo. 1. Animus ab omnibus præjudiciis afferatur purus.

Cum

Cum finis disputationis propositus potissimum sit veritatis in-
quisitio & confirmatio in animis auditorum, ingenuus disputa-
tor ab omnibus falsis præsumtionibus ac præjudiciis animum su-
um liberet, cum primis in Theologicis ac sacris velitationibus:
Præjudicia namq; ac præsumptiones vim inferunt veritati, atq; ita
sensus infertur in Scripturam, non autem aufertur ex illa: Unde
jure optimo Pestes veritatis præsumptio videlicet & præconcepti
erroris acerrima defensio nuncupari possunt.

THEOREMA XII.

*II. Disputantes ab affectibus quantum possunt sese libe-
rent, præsertim à timore, ira & spe vana gloria.*

Hoc sanè probè notandum; Ubi enim regnat timor, ibi cor-
rumpitur ac perturbatur iudicium; Ubi ira dominatur, perverti-
tur iudicium, & tandem ubi spes gloriæ regnat, gloria deprava-
tur. Medemur ergo 1. timori, per crebra exercitia, ut animo-
siores reddamur. 2. Iræ, per Christianam mansuetudinem. 3. De-
nique spei gloriæ per decentem humilitatem.

THEOREMA XIII.

*III. Disputandum est mansuetè sine rixis & clamoribus,
modestè sine conditiis & interpellationibus, candidè sine So-
phismatis & tergiversationibus.*

Rectè hanc in rem monet Rev. Clar: & Exc. Dn: D. J. Mar-
tini, Præceptor noster honorandus, quod disputatio ratione personæ
vitiosè eam proponentis & interrogantis possit reprehendi, si culpa ipsorum
disputantium non concedantur ea, ex quibus tamen aptè poterat de propo-
sito disputari. Et hoc vitium non tam in Opponentem, sed etiam
in Respondentem cadit, nempe quando tergiversatur & calumni-
osè agit. Quare in memoriam sibi revocent Disputatores, quod
disputatio opus duorum sit: Si igitur alter eorum est difficilis &
morosus, opus commune impeditur. Iniquus verò ille socius, qui
rem communem impedit. Quando hoc contingit, licebit dispu-
tationis directori relictà ad tempus thesi ejusmodi adversarium
& ineptum disputatorem reprehendere, & ad lineas ac gradum
revocare.

THEOREMA XIV.

IV. Oratio disputantium sit perspicua sine ambiguitatibus, succincta sine ambagibus, accommodata sine divagationibus.

Nervosè scribit Conradus Hornejus in Process. Disp. cap. 10. p. 157. *Sicut aliàs prima virtus est Orationis perspicuitas, ut docet Arist. 3. Reth. cap. 4. Ita minime omnium in disputatione desiderari debet. Equidem cum veritatis inquisitio per se alioquin obscura sit ac difficilis non debet obscuritas & difficultas illa orationis vitio augeri. Ad perspicuitatem autem referimus ut sermo constet simplici stylo & accuratùs quidem sit, sed communis & in lingua usitata: crucem enim auditori vel Lectori figere peregrina aut osca voce aliqua putidum per se est, & grammatici potius quam disputatoris. Sit brevius & succinctus. Non ibi quærenda Mæandri diverticula & flexiones vasæ, quibus veritas involvitur, nec utendum circuitione & anfractu verborum, cum res paucis absolvi transigiq; potest.*

Vitandæ ergo sunt excursiones exclamatoriæ; Disputare enim non est declamitare, facilius alioquin impingitur juxta illud: *In multiloquio non deerit peccatum. Prov. 10, v. 19.*

THEOREMA XV.

V. Disputaturi inter sese conveniant, uter opponere debeat vel respondere, quo ita confusio eò melius vitari possit.

VI. Pars utraq; leges & Canones Logicos modum argumentandi concernentes diligenter observet.

VII. Status questionis ante omnia constituendus & ante oculos semper ponendus, ne ab illo ad alia & planè àλλότρεια dilabamur.

Hoc enim nisi præstet futurus disputator, statim in limine peccabit. & non modo ignorationem Elenchi committet, sed insuper facile poterit decipi, seduci & traduci ab Adversario. Cautè ergo attendendum ac meditandum 1. quid pro thesi, quidve contra eam adferri possit, *iacula namq; prævisa minus mitiusve feriant.* 2. Componi inter se se debent argumenta thesin expugnantiæ eaq; expendi ut verum à falso rectè dignoscatur: Sed ut rectè monet Rev. Clar. & Exc. Dn. D. Jacob Martini ad hanc rem opus esse ingenium, quod optari facilius quam dari fingivè potest.

THEO-

THEOREMA XVI.

VIII. Quaecunq; in disputatione notatu digna proferuntur, ea domi ad locos convenientes referenda sunt.

Hoc sanè maximè necessarium, ac studia studiosorum non minus promovet, quando omnia quæ graviter sapienterq; dicuntur in chartas annotamus, quia memoria pleriq; sumus lubrica & interdum vacillante. *Fideles enim reservatrices rerum memorabilium sunt chartæ, quippe quæ non tantum uni, verum etiam multis & infinite posteritati prodesse possunt.* Quare neminem pudeat diligenter attendere & observata annotare. Gallus Gallinaceus etiam in stercore nobilem reperit gemmam. Ut etiam Virgilius ex Ennii stercore assererat se aurum legere: Sic etiam qui modo animadversionem atq; discendi cupiditatem attulerint, hi dubio procul ex quibuscunq; objectionibus & responsionibus voluptatē aut fructum aliquem capient.

THEOREMA XVII.

Porrò quod attinet generales Theologicarum Disputationum regulas, præscribuntur ea simul omnibus disputantibus, nimirum OppONENTI Respondenti & Præsidi, suntq; illarum quinque potissimum.

1. *À devotis precibus faciendum semper est initium, & iisdem una cum debita gratiarum actione concludendum.*

Huc quadrat antiquus ille versiculus.

De præce principium, de præce finis erit.

Eleganter etiam Nazianz. in Orat. de fug. fatur; *Τὰς εἰς αἰσθητῶν ἀρχομένους καὶ λόγους καὶ πράγματα ἐκ θεῶν ὄρχεσθαι καὶ εἰς θεὸν ἀναπαύεσθαι.* Ubi seriò adhortatur disputantes, ut ad disputationes Sacras non nisi præmissis seriis ad Deum effusis gemitibus accedant, quibus mentis per Spiritum illuminatio, linguæ formatio & actionum omnium ad divini nominis gloriam directio petatur. Finiantur etiam piâ gratiarum actione & seriâ precatōne, ut veritas confirmata & illustrata in animis auditorum obfignetur.

THEOREMA XVIII

2. *De rebus Theologicis devotè ac piè, graviter & humiliter in vero Dei timore ac reverentia differendum est.*

Non ergo quasi in hominum theatro, sed ut in Dei & Sanctorum Angelorum conspectu, adeoque in medio totius Ecclesiae confessu differatur. *Disputare namque sine timore Dei, est veritatem subvertere*, nervosè scribit D. Chrysostomus.

THEOREMA XIX.

3. *De mysteriis fidei rebusque sacris non topicè, sed apodicticè, non doξασικῶς seu probabiliter, sed ἐπιστημονικῶς, h. e. scientificè disputari debet.*

4. *In disputationibus Theologicis utendum quidem est formis syllogisticis, non tamen requiritur, ut omnes propositionum probationes, praesertim ex manifestis dictis scripturae desumpta novis & expressis includantur syllogismis,*

Theodorus Beza in Colloq. Mompelg. sess. habit. 23. Martii. hor. 7. ante merid. p. 98. inefficax esse putavit dictum Apostoli 1. Cor. 10. nisi Syllogismo includatur, ideoque nihil respondere voluit quam illud, *proba per Syllogismum, fac Syllogismum*, non secus ac Jesuitae in Colloq. Ratisbonensi nil aliud, quam *formam, formam*, crepare & ingeminare solebant. Sic etiam Calviniani in motivis non recepta à Marchione Badensi Formula Concordiae, statim in praefatione, omnia Syllogisticè refutari, argumentaque singula Dialecticè & in forma Syllogistica proponi satis imperiose postulabāt. Verùm non immeritò nostri Theologi se opponunt, quorum sententia ut eò melius cognoscatur, dicimus modum istum disputandi neque simpliciter esse necessarium, neque ubique possibilem, neque Ecclesiae doctoribus perpetuò usitatum, neque per omnia etiam semper fructuosum. Vide. Sobr. Phil. Rev. Clar. ac Ex. Dn. D. Praef. p. 1. p. 378.

THEOREMA XX.

5. *In sacris huiusmodi congressibus subinde in spergenda sunt moralia, & monstrandum, quomodo Theoria ista ad praxim faciat & in Christianismo nostro salutaris existat.*

THEO-

THEOREMA XXI.

Tandem notanda ad huc sunt regulae speciales, quae praescribuntur. I. Opponenti.

Generales haecenus breviter delineavimus, de Specialioribus nunc agamus necessum est, de illis videlicet, quae in specie ostendunt, quomodo Opponens, Respondens ac Praeses suo rite fungi debeant officio. Etsi vero primo aliquid praambuli loco à Praefide vel Respondente praemittere consonum magis videatur, tamen cum antequam opponatur responderi non possit, priori loco de Opponente agemus, qui est illa persona, quae in collatione mutua quaestionem ad disputandum propositam objectionibus & argumentis suis impugnare & expugnare conatur. Unde Opponens semper contrariatur alteri personae, Respondenti nimirum, cum quo disputare suscipit, adeoque ejus sententiam negat & opponendo oppugnat. Ab Aristotele & vetustioribus scriptoribus nuncupatur *Interrogans*, propterea quod apud veteres usitatum fuit interrogando opponere, ut scilicet quae, quibusque oppugnarent semper interrogarent.

THEOREMA XXII.

1. *Proponat quaestionem de qua vult opponere, ad illam cunctas objectiones dirigat, & auditorio digna proferat.*

2. *Si plura membra uno complecti velit syllogismo, bono ille disponat ordine, praemissis iis ex quibus dependet reliquarum probatio ac cognitio.*

3. *Praemissas muniat Scriptura dictis, ne inermes ac nuda appareant & per simplicem negationem statim repudientur.*

4. *Argumenta non tam de novo excogitanda, quam ex Adversariorum scriptis petenda & proprijs ipsorum verbis proferenda sunt.*

5. *Tandem in datis responsionibus si sufficientes sint, lumbens acquiescat, vel si nondum sufficiant, modestè excipiat atque divinam veritatem & auditorii edificationem in omnibus ante omnia spectet.*

THEO.

THEOREMA XXIV.

11. Respondenti.

Quia ergo Opponentem instruximus, nunc Respondentem, qui est altera persona informemus, ipsiq; simili modo ostendamus viam atque rationem, quo felicius contra Opponentem pugnet, & eò facilius thesin suam defendere ac tueri possit. Talem autem Respondentem duplicem dari manifestum esse arbitror, præsertim in nostris consuetis colloquiis, quâ occasione unum superiorem & primarium, alterum verò secundarium & inferiorem nuncupare non incommodè possimus. Ideoq; etiam justo ordine de amborum requisitis & officiis dicendum erit. Posterioris ergo, seu Respondentis communiter ita dicti officia sibi debita per sequentes canones proponimus.

THEOREMA XXV.

1. Repetat argumentum Opponentis, idq; vel tacite, vel elarâ voce.

In hac Academia frequenter Respondenti incumbit, ut expressis verbis repetat sine præcipitantia, breviter sine tædio & verborum ambagibus. *Sed inquis: Quare opus est ista repetitione seu assumptione Syllogismorum?* Respondemus. 1. Conducit hoc, ut detur spatium ac locus cogitandi de vera & accurata responsione seu solutione argumenti dati, atque ita per diligentem considerationem fiat nervosior. 2. Ut illa iteratione etiam eò meliùs intelligatur vis & sententia objecti Syllogismi. 3. Ut auditores majore attentione ex ista repetitione argumenti moveantur ac commoveantur ad solutionem istius argumenti retinendam ac perficiendam. 4. Denique propter Opponentem, ne scilicet deinceps postuletur, se tale argumentum non proposuisse. Quare necessariam omninò esse statuimus repetitionem objecti Syllogismi.

THEOREMA XXVI.

2. Si ab Opponente non formetur argumentum; tunc jubetur formare, vel respondens ipse formet.

Hoc tamen in casu placide & candidè agat Respondens, ita ne
instar

instar Sophistæ videatur Opponentem premere & ludere, nempe quando animadvertit Respondens in rebus ab Opponente prolatis inesse aliquam consequentiam, licet ipse actu non formaverit Syllogismum, ne tunc urgeat Opponentem, vel potius eludat negando consequentiam, ubi tamen (*quamvis Opponens eam ostendere non possit*) adest optima, sed ipse formet Syllogismum, ex Opponente autem, priusquam respondeat, querat, num argumentum ita formatum cum ipsius sententia conveniat, vel num ita assecutus sit mentem ipsius. Quod si Opponens annuat, jam ad Responsum Respondens se accingere debet, quod quomodo præstare debeat, jam porrò monemus.

THEOREMA XXVI.

3. *In Examine argumenti oppositi ante omnia expendat conclusionem, num rectè feriat statum, & proposita thesi legitimè sit opposita.*

4. *Quod si argumentum feriat scopum, & legitimè sit oppositum, expendatur forma, num ea congruat cum regulis bonæ consequentiæ.*

Rectè hac de re monet Cornel. Martini. *In disputationibus nihil absurdius fieri, quàm si quis ad materiam istius Syllogismi responderi velit, in quo videat malâ formâ conclusum esse. Observandum verò hic est, quod ad formam respondere sit consequentiam negare, & vice versa, qui consequentiam negat, dicitur se respondisse ad formam.*

THEOREMA XXVII.

5. *Si forma rectè se habeat, animus statim referatur ad majorem propositionem, & cogitetur, num propria sit, vel ambigua; num vera sit vel falsa, & si vera, num simpliciter vel secundum quid talis sit: ideoq; respondendum plerumq; est 1. indirectè per instantiam, 2. directè per limitationem vel distinctionem, vel etiam quandoq; per negationem.*

Sic E. G. Quando de renovatione nostra disceptatur, Adversarii contra nos ita argumentantur. Omne opus Dei est perfectum. Renovatio nostra est opus Dei. E. est perfecta. Respondemus

C

demus

demus. 1. per Instantiam hunc in modum. Omne opus Dei est perfectum. Creatio operis primi diei erat opus Dei. E. fuit perfecta. Conclusio est absurda. Creavit namque DEUS initio rudem & indigestam molem. Ergo vel major vel minor, non minor. E. major. 2. directè per distinctionem. Omne opus Dei est perfectum, nimirum in operibus absolutè perfectis, quæ DEUS jamdudum absolvit. Renovatio nostra est opus Dei. E. perfecta. Neg. Conseq: Loquitur enim minor de operibus Dei, quæ adhuc sunt in fieri, nondum absoluto, & sic fiunt quatuor termini. Major loquitur de operibus absolutè perfectis, minor de operibus absolvendis, vel quæ adhuc sunt in fieri. Renovatio E. nostra in hac vita tantum est inchoata, non absoluta, renovamur non statim sed paulatim. Distinguendum ergo est inter opera Dei absolutè perfecta, & opera Dei quæ adhuc sunt in fieri. &c.

THEOREMA XXIX.

6. *Considerata maiore, expendatur etiam minor propositio argumenti, quæ raro est limitanda vel distinguenda, sæpius vero neganda.*

7. *Premiſſis ritè expositis, queratur responsionis robur ex sacris literis ac res ipsa ulterius ex alijs textibus parallelis & analogia fidei explicetur.*

Origines Homil. 5. in Ierem. Necesse est, inquit, nobis scripturas sacras in testimonium vocare, quippe sensus nostri & enarrationes nostra sine his testibus non habent fidem.

8. *Si fieri potest respondatur quoque tandem per reversionem & inversionem, ostendendo, quod argumentum adversarij pro nobis faciat.*

THEOREMA XXIX.

9. *Si locus Biblicus objiciatur, primo videndum est, an extet in libro vel Apocrypho vel Canonico; Si in Apocrypho, premittatur, quod liber ille non sit Authenticus; si in Canonico, inspiciantur fontes & sensus ex textus scopo, totius capituli etuatur.*

10. *Si Patrum & doctorum testimonia opponuntur, Respon-*

spondens 1. curet sibi verba eorum fideliter recitare. 2. conciliet quantum potest cum sua sententia. 3. si conciliare nequeat, modestè rejiciat, & aliorum aequè celebrium testimonia opponat.

2. Si principium objicitur Philosophicum videatur, num sit vel confictum, num rectè vel malè applicatum, & cum primis inquiratur in principii istius fundamentum, quod plerumq; est inductio rebus naturalibus innixa, ideòq; illud male ac commodatur ad mysteria supernaturalia.

THEOREMA XXX.

12. Nonnulli tandem & hoc suadent, ut futurus respondens ante disputationem privatim sese cum aliis associet, ut singuli singulos autores de quadam materia evolvant, & postmodum collecta ac observata in commune conferant, quod Collegium Gellianum nuncupare consueverunt.

THEOREMA XXXI.

III. Præsidi.

Cum itaq; de officio Respondentis secundarii sat actum esse putemus; meritò etiam transitum facimus ad alterum primarium & superiorem, Præsidem nimirum, cujus officium paucis ita delineamus.

1. Moderetur illam totam Disputationem, ut de proposita materia ex genuinis principiis sine rixis & cõvitiis differatur.

2. Respondentem non turbet aut interpellet, sed si bonam ille responsionem dederit, eam collaudet ac uberius illustret. Si inconvenientem illam sine pudore Respondentis corrigat. Sin autem prorsus deficiat, responsum Præsides ipse solidum & firmumq; afferat.

3. Deniq; ad Præsidis quoq; officium cum primis spectat, ut moralia, quæ ex discursu aliquo fluunt, breviter ostendat, & ita totum auditorium non modo vera doctrina, sed etiam vera pietate imbuet.

Tantum de officiis Respondentium, tam primarii scilicet quàm secundarii.

THEOREMA XXXII.

Undecimum Medium. Exercitia Concionatoria.

De Gentilium Sophis atq; Mystis, qui sapientiam ac pietatem profitebantur, scribit alicubi Plutarchus, referente Cœlio Rhodigino l. 5. lect. antiq. cap. 12. *Non facit Philosophum promissior barba, nec vestis pertrita, non Item Isiacos linostolia, i. e. amictus linei.* Simile quid de Christianorum Mystis veteri vertitur veriverbio: *Habitus Monachum non perficit: Die Rappen macht keinen Mündch.* Et illud Homil. 43. in Matth. Chrysoctomi: *Videte quomodo sedetis super cathedram, quia non cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram.* Ornat autem cathedram Sacerdotalem in primis doctrina, nam *Sacerdos indoctus est cœcum animal*, inquit Hieronymus in Proph. Malachiam. Doctrinam autem ornat methodus & iusta ratio modusq; proponendi. Non enim loquendum est in Ecclesia, quicquid in buccam venit, sed *quid & quomodo dicatur*, probè cogitandum. Quare compendiosè informabimus etiam juniorem Theologum, quomodo concionem legitime disponere, dispositam hominibus in Ecclesia proferre possit; Ubi præsentia in re & studio sequentia tanquam necessaria prærequisita notant autores: Res videlicet, Elocutionem, Affectionem & Dispositionem, Conjungendi simul modum & rationem meditationis, imprimendi, pronuntiandi & exercendi, quæ omnia paucis evolvemus.

THEOREMA XXXIII.

Circa ea verò exercitia notari debet. I. Res, de quibus concionandum, ubi sequentes regulae veniunt observanda.

1. Res in concionibus proponenda cum primis ex unica S. Scriptura desumenda sunt.

Nam præter textum è sacris literis petatum in conciones derivari etiã solent. I. *Dicta*, in quibus tamen allegandis certus itidè debet observari tenor ne nimis cumulentur, sed potius appositè citentur, præsertim quoad verba formalia, quantum poterit: ita ut simul ea quæ obscura sunt dilucidè explicentur. II. *Exempla*, quæ in omni concione veniunt adducenda, ita ut peculiarem

vim

vim movendi in se se contineant, ea tamen selecta & com-
moda, & quandoq; animata quasi per prosopopæjam. III. Si-
militudines. Sub quibus comprehensos volumus omnes typos, al-
legorias & parabolæ: Illi enim in Veteri T. præfigurabant, res
& gesta in Novo T. Quemadmodum æneus serpens *Exod. 23.* ty-
pus existit exaltandi Christi *Ioh. 3.* Istæ vero sunt accommodatio-
nes terrestrium ad cœlestia, sicuti historia de duabus Abrahami
ancillis ad cœlestia refertur, *Gal. 4.* Hæ vero parabolæ nempe
sunt ipsæ similitudines: omnes autem, quocunq; tandem nomi-
ne veniant, similitudines in quavis concione sint 1. aptæ, 2. signi-
ficantes & intellectu faciles, 3. paræ & post erutum literalem
sensum collectæ.

THEOREMA XXXIV.

2. *Salutaris doctrina cum in Symbolicis libris perspicue
sit proposita, sufficienterq; explicata, ex iisdem magno cum
fructu repeti & uberius explicari & illustrari potest.*

Quia de his supra actum, ea jam, brevitate studentes, non
atingimus, unicum autem hoc adjicimus. Quod cum primis Sym-
bola illa Catholica obligent ad assensum omnes homines ad finem usq;
mundi, tum propter summum in rebus consensum cum scriptura, tum
propter necessariam verborum & phrasium, quibus sunt, conditâ in Eccle-
sia usurpationem; Unde fit ut possint dici regula secundaria, ad quam à
fidelibus omnis interpretatio scripturæ examinari potest ac debet. *Altsted.
Præcog. Theol. l. 2. p. 128.*

THEOREMA XXXV.

3. *Patrum, Doctorumq; dicta & explanationes non de-
bent omninò negligi, neq; tamen in iis citandis concionator
nimis luxuriet.*

Hoc probè notandum, præsertim apud rudiores. Sufficiat
ratione auctorum habita, vel testandi consensus causa, vel pro-
pter nervosam & emphaticam breviter tria quatuorve dicta
patrum in concione adducere, nequaquam vero eadem copia ac
numero, quo scripturæ testimonia, allegentur, nec eodem loco
cum illis sint habenda. Magnum enim discrimen est inter Apo-
stolo-

Stolorum ac Prophetarum dicta, & inter Patrum testimonia. Il-
lorum dicta præstant solidum fidei fundamentum Eph. 2, v. 20.
Hæc vero ex scripturis Prophetis & Apostolicis dijudicanda
& juxta eas examinanda sunt. Christus & Apostoli in suis con-
cionibus ex Mose & Prophetis doctrinæ suæ fundamenta petunt,
nusquam vero ex Rabinorum commentariis suffragia conqui-
runt; ac facile contingere potest ut rudiores suspicantur ean-
dem probationis vim & idem autoritatis pondus scripturæ &
Patrum dictis inesse, si absq; judicio dehortationis eadem copia
& frequentia utraq; allegarentur.

THEOREMA XXXVI.

4. *Ex conciliorum canonibus & scriptis Ecclesiasticis ve-
ris, non fabulosis pulchra moralia & virtutum vitiorumq; e-
xempla proferantur.*

5. *Rationes Philosophicæ, dicta moralia gentilium, & hi-
storiæ profanæ parcè, limitatq; cum judicio allegari debent.*

6. *Fructuosum etiam est præsertim in concionibus Elench-
ticis, propria adversariorum verba proferre, ne alienam men-
tem iis affingi putent auditores, ut propriis deinde telis jugo-
lentur, & ipsorum absurditas eò magis innotescat.*

Eleganter docet Rev. ac Exc. D. Ægid. Hunnius p. m. in
meth. conc. p. 118. In refutandis falsis dogmatibus hæc adhibeatur cau-
tio, ut & sententia & argumenta adversariorum bona fide citentur, ne
eis affingatur sententia alia, aut argumenta eorum mutilata vel deprava-
tâ allegentur. Quæ ratione & confutationi suum pondus, & concio-
nator fides derogaretur. Apertè igitur contra eos agendum est, ut veritatis
studium sincerum, non perversus affectus in dicendo conspiciatur. Maxime
autem studendum est perspicuitati in confutando, ut auditoribus velut o-
culari demonstratione error adversariorum ob oculos ponatur. Quam ad
rem plurimum lucis adfert scripturarum collatio, si opinio falsa firmissi-
mis, maximeq; ad rem præsentem pertinentibus testimoniis, velut à fun-
damento subvertatur. Unde sicut ad quoslibet fidei articulos con-
firmandos, sic ad falsa dogmata labefactanda, ministri Ecclesia-
rum in promptu habeant testimonia scripturæ non longè petita,
sed

sed quæ sine multa circuitione rectâ & è diametro quasi repugnant opinionibus sectariorum, quas refellendas suscepimus.

THEOREMA XXXVII.

11. *Verba vel modus Elocutionis, qui sequentibus regulis circumscribi potest.*

Multum enim interest videre ne tantum vera & bona proponantur; sed & ut benè: Nam scandalum præbent sermones incauti: Et ut Jcti causam bonam malè agendo: Sic ministri verbi doctrinam bonam malè loquendo perdere solent.

THEOREMA XXXVIII.

Stylus Concionatoris & modus Elocutionis sit I. Biblicus, divinus & Spiritualis, constans verbis & phrasibus scripturae quoad fieri potest.

Nam philosophi liberis utuntur verbis, nobis in Ecclesia ex præscripto loquendum est, dicit Augustinus. Huc item optimè referri possumus judicium Joh. Matthesii Pastoris in Jochimsthal. Cujus verba teutonice conc. 13. de Hist. B. Lutheri p. 145. b. & seqq. ita sonant. Da einer wil ein Prediger werden / soll er sich darauff begeben / das er in der Kirchen die Sachen / so er vorzutragen gut Teusch außsprechen könne / Derohalben vermahne ich hiemit alle / so gedencken sich bey den Teutschen ins Predigamt zu begeben / das sie ihnen die Teutschen Biblien lieb sein / vnd deroselben Wort stetig gebrauchten / vnd kein Stölichen oder Gesetzelein reden / darinnen nicht auff wenigste ein gut Biblich Wort eingeführet sey. Teusch soll man auff der Cantzel bey den Teutschen Predigen / sagt jener alter Pfarrer / Lateinisch mag man singen nach gelegenheit der Kirchen / Wer Hebreische Sprache in hohen Schulen oder bey seinen Collegien liest / der muß auch andere Sprachen können vnd reden. Es verdroß vnsern Doctor (Lutherum) nicht ein wenig zu Schmalkalden / das etliche Prediger mit Hebreischen Worten anfiengen vnd Parlierten: Adoni, Kyrie Domine herein: Sie geben nicht gute Lehen oder Bawren Prediger / sie brocken so viel Latein / Griechisch / vnd Hebreisch mit ein / Wir / sagt er am Tisch / beten ein Vater vnser ein Nahmen Christi / vnd lassens Gott walten / der erhalte vnser Nachkommen in solcher Einfalt / Amen. Hactenus Matthesius.

THEO-

THEOREMA XXXIX.

2. *Moratus, hoc est, devotus, verecundus, modestus & gravis, ut nihil in eo profanitatis vel levitatis reperiatur.*

3. *Moderatus, hoc est, neque nimium brevis, neque nimium copiosus.*

Ne sit in nobis mare verborum & gutta rerum. Adminicula aliàs cōpiæ sunt 1. congeries Synonymorum, 2. dilatatio phrasium, & 3. nervosa Epitheta.

4. *Purus & elegans, cum quadam suavitate conjunctus.*

Ecclesiasticus vir, monet August: l. 4. de doctr. Christ. divina eloquia non solum sapienter, sed etiam eleganter tractet.

5. *Simplex & consueto genere dicendi constans, nihil affectationis continens, sed ad naturam quam proximè accedens.*

Juxta illud distichon ;

Munda sed è medio consuetaq; verba ministri

Dicite, sermonis publica verba placent.

Simplex oratio optima est & absq; fuso, docet Rev Clar. & Excell. Dn. D. Balduinus Præceptor noster æviternum suspiciendus. In Instit. minist. p. 147. Mali sunt ergo concionatores, quibus placet stylus aulicus, cui plus studii tribuunt & laboris quam utilibus doctrinis. Nec meliores, quibus placent termini Gallici vel Italici pro concione. Christus ipsis est Duc de Jerusalem. Apostoli sunt duodecim Ambasiatores; Moses & Josua sunt Printz Moses & Printz Josua; Majestas Dei aut Christi signora; Vita æterna est partus bonæ sperantze. Item der Herr Jesus marsieret den Berg hjan. Et quæ sunt nugæ aliæ in reseria, quæ non sine tædio & multorum aliorum indignatione proferuntur. Sed hi Pastores audiant Apostolum Paulum: *Non in sapientia evacuetur crux Christi.* 1. Cor. 1. v. 16. & 17. Et iterum: *sermo meus & predicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientie verbis fit; sed in ostensione Spiritus & virtutis.* 1. Corinth. 2, v. 4.

THEOREMA XL.

6. *Perspicuus & efficax, ut sensus tamen influat in animos auditorum.*

Perspi-

Perspicuitas verò quatuor membris constat, 1. requirit verba vernacula, usitata & consveta, 2. facilem structuram verborum, 3. brevitate[m] periodorum, & 4. denique accuratas distinctiones per commata & cola &c. Nam qui bene distinguit, bene docet.

7. *Proprius & verbis juxta nativum sensum acceptis, quoad maximam partem constans.*

8. *Subinde tamen ornatus quibusdam tropis & figuris, rerum sacrarum majestati convenientibus.*

Figurae verò quibus Rhetor Ecclesiasticus concionem ornare potest; potissimum duodecim sunt. 1. Est Exclamatio, quae non crebro utenda. 2. Interrogatio, quae vim habet ad movendos affectus. 3. Astrophe. 4. Compellatio. 5. Obsecratio, quando ab auditoribus aliquid petimus, habet autem locum in concionibus iurgatoriis. Rom. 10. v. 12. Galat. 4. Obsecro vos. &c. 6. Adjuratio. 2. Tim. 4. Testificor coram DEO &c. 7. Optatio, quae sanè Pathetica est. Rom. 9. 8. Admiratio cap. 1. & 4. in Threnis Jerem. 9. Prosopopœia. Rom. 8. 10. Sermocinatio & Dialogismos Sapient. 2. & 8. tribuuntur sapientiae divinae adhortationes. 11. Sustentatio, quae ad exaggerandum sit accommodata. 12. Communicatio, cujus species duplex est, 1. quando iudicium committimus auditoribus. 1. Cor. 10. & 11. 2. quando concionator loquitur in plurali, 1. Petr. 4. v. 3. *Sat enim est nobis &c.* Quibus figuris ergo omnibus rectè applicatis optime ornatur concio. Sed hæc de stylo ministrorum dicta sunt.

THEOREMA XLI.

III. Affectus quoniam illi modo in animis auditorum commoveri possint. Duo a. hic observanda veniunt, nempe generales de affectibus Canones, & speciale illos movendi artificium.

Ut tria Oratoris sunt officia, 1. docere, 2. delectare, 3. movere: Sic etiam concionatoris præcipuum munus in movendis affectibus constare debet, quomodo autem illud præstare debeat, nunc porro monemus.

THEOREMA XLII.

Quod attinet generales Canones, sex eorum proferimus.

1. *Concionator malos affectus amovere, bonos verò commovere debet, leniores crebrius, vehementiores rarius.*

D

2. Quæ

2. Qui movere vult affectus, seipsum prius consideret, si-
ne Juvenis, an Senex, sine in ministerio versatus & de suis
auditoribus praeclare meritis nec ne,

3. In motu affectuum diligenter habenda est ratio cetera-
rum quoque circumstantiarum, praesertim loci & temporis &
personarum ad quas dicitur.

4. In una & eadem concione affectus oppositos contrariosque
movere fructuosum & jucundum est.

5. Concionatorem prius eo affectu, quem movere inten-
dit diutissime commotum esse oportet.

6. Moveri possunt affectus quatuorupliciter. 1. Rhetoricè,
partim per tropos verborum simplicium & figuras conjuncto-
rum, partim per amplificationem & exaggerationem rerum. 2.
Logicè, per solidam illationem & nervosam rerum tractatio-
nem. 3. Comicè vel representativè, quando res & persona suis
descriptionibus & imaginibus ante oculos ita ponuntur, ut non
tam dici quam geri in praesentia videantur. 4. Theologicè per
precazionem ardentem ad DEUM hoc nomine effusam per di-
ctorum Bibliorum, exemplorum & similitudinum accuratam
explicationem, fortemque impressionem.

THEOREMA XLIII.

Quod speciale concernit artificium movendi affectus,
consistit illud potissimum in efficacioribus argumentis ad ex-
citandos animos multum roboris habentibus, qualia secundum
seriem affectuum praescribere nostri quidem non est instituti,
uno tamen atque altero exemplo illustrabimus, ut de similibus i-
dem fiat iudicium.

1. Affectus & desiderium poenitendi potest moveri, si ur-
geatur. 1. Dei praecipientis majestas & voluntas. 2. Dei promit-
tentis benignitas. 3. Dei comminantis severitas. 4. poeniten-
tia necessitas.

Nihil

Nihil enim magis nobis in hac vita est necessarium, quam
seria poenitentia; Aut enim jam poenitendum, aut urendum. *Be-
lehrt oder verzeht. 5. poenitentia utilitas.* Deo enim nos 1. re-
conciliat *Psal. 51, v. 19.* 2. Angelos exhilarat. *Lachryma videlicet
poenitentium, juxta veteres, sunt vinum Angelorum.* 3. Diabolum,
contristat. 4. Varijs bonis nos cumulat, quæ sunt remissio pecca-
torum *Actor 3, v. 19.* Justitia coram Deo, hanc sequitur inhabita-
tio Spiritus Sancti, *Actor. 3, v. 18.* Cum hac conjuncta est exaudi-
tio precum, *1. Ioh. 3, v. 21.* Ex hac oritur mitigatio calamitatum
spiritualium, ut de Ninivitis *Ion. 3. Ierm. 18.* hanc sequitur libera-
tio à poenis æternis, & tandem deductio in Paradisum, ut exem-
lum de latrone ostendit. *6. Impoenitentia noxa & deformitas.*

*II. Odium peccati & vitiorum potest excitari si 1. ex-
aggeretur peccati atrocitas.* Peccatum enim est venenum anti-
qui serpentis, ut venenum, sic quoq; peccatum interficit. *Quin-
immò peccatum est filia Diaboli, & hostis Dei, per illud enim
offenditur, per illud, inquam, amittitur gratia Dei & Spiritus
Sancti inhabitatio &c. 2. Dei majestas. 3. divinorum mune-
rum ubertas. 4. passionis Dominice acerbitas.* Passus enim
est Sa'vator tuus ô homo intus in anima, in corpore; patitur
ejus caput, lingua, oculi, aures, manus, pedes, immò totum
corpus Christi. Passus autem non est propter se, sed propter te,
non propter sua, sed propter tua peccata. Si hoc factum in illo,
qui innocens erat, quid de te fiet? *5. Ira divina gravitas,
Deut. 4. Heb. 11. Est ignis consumens. Si peccas in ignem te conjicis,
Ira enim Dei est onus gravissimum, utpote Manasses in precatone sua
fatetur. 6. agonis ultimi difficultas. 7. judicij extremi se-
veritas. 8. gaudiorum coelestium suavitas. 9. Infernalium
penarum varietas.*

*III. Filialis fiducia, Spes & Consolatio potest accendi, si
inculcemus, misericordie divinae magnitudinem, meriti
Christi amplitudinem.*

Passus enim est Christus pro toto mundo Iohan. 3. ver. 16. pro omnibus. 1. Corinth. 8. v. 12. pro pereuntibus. &c. Merito ergo apprehendamus meritum Christi &c. accenditur si proponamus *Promissionum Evangelicarum universalitatem*; iuramenti divini firmitudinem Ezech. 33. v. 11. Vivo ego dicit Dominus nolo mortem peccatorum &c. Ioh. 5. v. 24. Accendi etiam potest si innuimus *Verbi & Sacramentorum utilitatem*, *testimonii interni certitudinem*, *Exauditionis promissae infallibilitatem*, *exemplorum multitudinem & varietatem*.

IV. Amor studiumque virtutum accendi potest, si urgeatur
1. *divinum preceptum*, (Esa. 9. Roman. 6, Galat. 5. Ephes. 4.)
2. *nostrum debitum* (Rom. 8. v. 4) Debites sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Sepulti igitur sumus una cum illo per Baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vite ambulemus. 3. *Passionis Dominica meritum*, 2. Corinth. 5. v. 15. Ubi geminus passionis Christi usus ostenditur 1. didacticus & 2. paradigmaticus. Ideo enim passus, ut nobis relinqueret exemplum. 1. Petr. 2. Christus crucifixus, etiam vetus homo debet crucifigi. &c. 4. *nostrum cum Christo consortium*. 5. *Virtutum decus & elogium*. 6. *Sanctorum exemplum* 7. *Promissum praemium* (vel gratia vel gloria) 8. *Consequens damnum* (externum corporis, internum animae, aeternum utriusque.)

Ad hunc ergo vel similem modum reliqui affectus etiam speciales commoveri facile possunt, quam ob causam in locis concionatoris diligenter annotari debent formulae movendi *emphatica*, *dicta Scriptura & Patrum argumenta persuadentia*, *dicta gentilium*, *Exempla*, *allegoria & similitudines*.

THEOREMA XLIV.

Ad hoc undecimum medium porro accedit Modus, disponendi, qui describi potest partim Generaliter, partim Specialiter.

Disposi-

Dispositionem alias dirimunt in *Arbitrariam & Textualem*.
Illa erit, qua pro lubitu & per propriam prudentiam quis textum
disponet & pertractare solet. Hæc verò, quæ ductū textus & pro-
positæ materiæ sequitur. Deinde in *Exquisitâ sive Sapientia*, & Popu-
larè sive *Prudentiæ*. Prudentiæ enim est, se ubi vis ad captum audi-
torum exhibere, quemadmodum rerum omnium magistra expe-
rientia uberrimè testatur, sæpè Viros dari multæ existimationis
apud doctos, qui tamen non ita coram populo censeantur, quod
iis deficiat prudens inculcandi modus, sed potius Sapientiæ du-
ctu, quàm prudentiæ suas res vulgo proponant.

THEOREMA XLV.

*Ad Generalem descriptionem pertinent Affectiones &
& Partes cujusvis dispositionis.*

*Affectiones cujusvis dispositionis numerari cum primis possunt
Quinq;.* Sit ea 1. *Accommodata textui vel materiæ*, de qua
Concio habenda. 2. *Perfecta & adæquata*, quæ totam ma-
teriam exhauriat, & nihil peregrini admisceat. 3. *Nervosa & ro-
runda*, ut omnia cohæreant instar nervorum & rotundi circuli,
ut periodi præcedentes semper gradum præparent sequentibus,
adeoque partes arctè sint connexæ, sicut tamen ut evidens appare-
at simul distinctio. 4. *Popularis & auditorum inserviens captui*,
5. Deniq; *Brevis & succincta*, ne vel nimis abundet subdivisio-
nibus, & justo longior tota evadat Concio.

THEOREMA XLVI

*Partes cujusvis Dispositionis quod attinet, non incommodè
tres illarum cum recentioribus constitui possunt.*

*Prima est accessus ad tractationem materiæ, seu Pre-
ambulium concionis, quod semper præmitti & constare solet bre-
vi voto, indicatione scopi, ob quem conventum, exhortatio-
ne ad precandum, ipsa precatione & textus prælectione.*

D 3 Im

In hoc accessu peculiare formulas solent usurpare Concionatores, quæ sunt vel *Stata* vel *Temporaria* & *variantes*. *Stata* sunt, quæ solitis semper constant particulis atq; membris; ut pote 1. Voto, quale Apostolicæ formulæ continent in Epistolarum principiis. *Rom. 1. 8. 7. 1. Cor. 1. v. 3. & c.* 2. Indicatione scopi, eaque vel Generali ad audiendum verbum, vel Speciali, qua innuuntur ipsius textus viscera. 3. Etiam nostræ imbecillitatis confessione & deploratione. 4. Divini auxilii imploratione. 5. Ipsa orationis Dominicæ recitatione sive tacita, sive publica. 6. Accessione ad prælectionem verbi, 7. Recitatione clarâ, devotâ, distinctâ, & 8. addita sæpè clausula votiva. *Temporaria* autem formulæ dicuntur, quæ nonnunquam veniant pro diversitate temporum: Hisce uti potissimû solemus diebus Festis solemnioribus, & inchoantur vel à dicto quodam Emphatico, vel à *δοξολογία* & similibus, quo auditorum animi eò fortius commoveantur, & ad cultum piè faciendum excitentur.

THEOREMA XLVII.

Secunda est ipsa textus vel materie tractatio, qua aliàs quatuor in se complectitur partes. 1. Exordium, quo inchoatur concio & auditores preparantur ad audiendum attentè ac intelligenter. 2. Propositionem in qua thema concionis proponitur. 3. Deductionem vel tractationem ipsam, & 4. deniq; perorationem.

De quibus secundæ dispositionis particulis earumq; affectibus breviter agemus.

THEOREMA XLVIII.

1. Exordii leges vel affectiones precipue sunt, ut sit venustum, cû textu vel materia conveniat, nec nimis longè petatum sit, nec nimis sit prolixum, sit verecundum, modestum & humile, ad benevolentiam, attentionem & docilitatem auditorum excitandam sit accommodatum.

Cû primis vero Concionatores prolixitatē in Exordio fugiant. Nā brevissimo etiam exordio mentes auditorū ad attentionē diligentem

gentem excitari, & de utilitate, necessitate eorum de quibus dicturi sunt graviter moneri possint. Vicissim autem, quam odiosa sint Exordia prolixa imperitorum concionatorum, exemplis manifestum est, qui ferè sæpè dimidiam partem Concionis Exordio tribuunt, & cum propè finis ab auditoribus expectatur, illi demum de qua re dicturi sint, non sine magno auditorum tædio proponunt, id quod omnino fugiendum.

THEOREMA XLIX.

Porro à variis locis duci possunt Exordia; quinque tamen illorum sunt principales & maximè frequentes, dum exordiri solemus vel 1. à laude auctoris & commendatione loci, quem tractandum suscepimus: Vel 2. sententia quadam generalis futura materia accommodata, & ut ita tbesis transferatur ad hypotbesin 3. ab occasione & causa impulsiva. 4. à cohesione contextus, eiusque scopo et summa, præsertim si sit concio textualis: 5. denique à recapitulatione superioris Concionis.

Hi ipsi autem loci simul docent Oeconomiam vel dispositionem Exordij, quod si maximè artificiosum esse debeat, & à quadam generali sententia desumatur, quatuor constat particulis, ipsa propositione vel sententia; eius confirmatione; brevi amplificatione & accommodatione; vel tandem transitione ad materiam explicandam, cum qua conjungatur partitio, si textus vel materia illam requirat.

THEOREMA L.

II. Propositio in qua tbesis concione tractandum proponitur. Debet autem illa esse popularis, perspicua, brevis. Cuius οἰκονομία tribus constare solet partibus, nimirum in deo vel enumeratione: 2. ἀξίωσις, vel petitione attente auscultationis, & εὐχῆ seu invocatione Dei, cuius formula vel est statuta vel varians, & ex materia de qua dicendum petita; qua precandi formulae sunt emphatica, moventque ac delectant plurimum.

THEO-

THEOREMA LI.

III. *Deductio vel tractatio propositionis.* In quasi per-
matur thema simplex, tunc per loca inventionis debet tracta-
ri, subinde admixto usu & applicatione Theologica. Si com-
positum debet explicari per paraphrasin, confirmari & ampli-
ficari per argumenta demonstrantia, illustrari per contraria-
rum rationum solutionem, & applicari per locorum moralium
indicationem.

Constat igitur deductio compositi thematis, plerumq; parti-
culis quatuor, nimirum 1. *Explicatione propositionis*, ut tum
subjectum, tum prædicatum ejus declaretur, verusq; sensus per
aliquam paraphrasin indicetur, & si opus fuerit Status contro-
versiae formetur, 2. *Confirmatione Propositionis explicatae* per
dicta Scripturae illustrata & argumenta nõ tam multa, quam pauca,
selecta tamen & maximè cogentia. 3. *Illustratione propositionis*
confirmatae, quæ illustratio fieri potest, per contrariarum obje-
ctionum dissolutionem. 4. *Applicatione vel locorum morali-
um annotatione.*

THEOREMA LII

IV. *Peroratio, quæ est totius Concionis conclusio, siquæ-
dem per illam deductio materiae artificiosè clauditur. Sit q; 1. i-
sta affectuosa & stimulum in auditorum animis relinquens.*
2. *alacris & excitata; & 3. brevis & nervosa.*

Partes Epilogi vulgò constituuntur quatuor. 1. *repetitio*
dictorum, 2. *Concitatio animorum*, 3. *breve votum*, & 4.
doxologia.

THEOREMA LIII.

Tertia & ultima pars Dispositionis Concionatoriae est
recessus à tractatione textus vel materiae, qui recessus tribus
constare solet particulis. 1. Preparatione ad preces, 2. Ipsa pre-
catione. & 3. clausula votiva, quæ tota obsignatur Concio.
Atque sic generalem modum disponendi conciones sufficienter
pertractatum esse æstimamus.

THEO.

THEOREMA LIV.

Quod concernit Specialem Dispositionem, notanda sunt diversa concionatorum genera.

Est autem omnis Concio *vel Libera*, quæ non versatur circa textum certum, sed ex concionatoris arbitrio de re ipsa instituitur; Ubi Dispositio videlicet conciones tractandi, thema simplex & conjunctum debet adornari: *vel Textualis*, sive ad certum textum, qui prælegitur, ad stricta. Hæc iterum *vel Biblica*, quando textus Scripturæ prælegitur, *vel Catechetica sive Symbolica*, quando è libris symbolicis, ut è catechesi, vel Augustana confessione, vel libello simili textus proponitur. *Textus Biblici I. vel sunt statim & perpetui*, ut Evangelici & Epistolares, quorum dispositio datur gemina: Partim *Textualis*, quando verus sensus, ex scopo & contextu, ex consideratione singulorum membrorum phrasiumque enarratur, & verus usus in fide & pietate consistens, vel subinde post explicatam unam textus particulam, vel in fine post totius textus ἐξήγησις monstratur; Partim *Thematica*, quando aliquod thema primarium è textus meditullio petitur proponitur, & tractatio ex ipso textu desumitur, qui simul, quantum ad thema istud pertinet, explicari solet. Hinc pro diversitate thematum, quæ principaliter tractantur, diversæ oriuntur conciones, ut quædam dicantur Didascalicæ; quædam Elenchticæ; quædam Paræneticæ; quædam Dehortatoriæ; quædam Consolatoriæ.

Vel textus Biblici sunt *II. Arbitrarii & Variantes*, quando vel integer liber Biblicus sumitur explicandus; vel certa capita; vel dicta specialia.

THEOREMA LV.

Conciones Symbolicas quod attinet, in earum Exordio sensus prælecti textus in genere, ejusq; analysis indicari, in tractatione autem verus sensus specialius explicari, & si sit Articulus fidei, vel thema dogmaticum, per formationem status, confirmationem veritatis, refutationem falsitatis, & annotationem locorum moralium: Sin autem sit thema Practicum, per argumenta adhortantia & dehortantia tractari debet,

Hæc etiam de dispositione variisq; Concionum generibus dicta sufficiant.

E

THEO.

THEOREMA LVI.

V. *Modus privatim meditandi & conscribendi conciones, qui sequentibus regulis qualitercunq; describi potest.*

1. *Ut in rerum omnium, sic etiam Concionum meditatione praequiratur tranquillitas animi, devotio cordis solitudo loci & opportunitatis temporis.*

2. *Res pro concione tractanda diligenter in animo concipi & firmiter imprimi debent.*

3. *Ante conscriptionem, textus necessario praecognoscendus est, quod fieri potest, 1. per crebram versionis Germanicae lectionem, Hinc n. generalem quendam gustum, qua de re agatur, percipiet, & ad investigationem acriorem incitabitur. 2. Per fontium Inspectionem. Non pigebit diligentem concionatorem, si vel mediocri earum linguarum cognitione imbutus sit, ad fontes ipsos recurrere, atque eam quam enarrabit pericopen, in originali sua lingua inspicere, ut tantò majori certitudine de sententia Prophetæ vel Apostoli judicare possit. Multò enim solidius & rectius de sensu scripturæ poterit statuere, qui vel mediocrem notitiam harum linguarum habuerit, quam qui hoc linguarum beneficio destitutus ab interpretum translationibus magna varietate inter se discrepantibus, pendeat. 3. Per scopi considerationem; 4. Per veri sensus investigationem. Non autem scire possumus sensum, nisi eum per verba discamus, dicit Hieronymus, diligenter ponderentur verba & Phrases scripturæ vel materiæ, quæ diligentia non est otiosa; sed maximè utilis & homine piè erudito digna. 5. Per revocationem ad methodum seu caput doctrinæ in locis Theologicis, 6. Per analysin & resolutionem in charta consignandam, & 7. per unius atq; alterius probati interpretis super istum textum evolutionem.*

THEOREMA LVII.

4. *Non tantum Concio mente concipi, sed simul in charitatem conjici & consignari debet.*

5. *Quan-*

Alias B. Lutherus Jen. Thom. 2. germ. fol. 458. Wir werden das Evangelium nit wol erhalten ohn die Sprachen. Die Sprachen sind die Scheiden/darinnen dz Messer des Geists stecket/Sie sind der schrein/darinnen man dz Kleinot trägt/sie sind das geföß/darinnen man diesen tranck fasset/sie sind die Kemnot daranne die speiseliget/vnd wie das Evangelium selbst zeigt. Sie sind die Körbe/daranne man diese Brod vnd Fisch vnd brocken behelt.

5. Quando quis primum incipit sermonem ad populum habere, consultum tutumq; est omnia verbotenus & quidem germanicè annotare aliquot vicibus; Post autem consignationem paulatim contrahere, & præcipua tantum in chartam referre, brevibusque terminis latinis (quibus brevius & nervosius omnia notari possunt) comprehendere.

6. Concio, quantum fieri potest ita consignetur, ut septem potissimum virtutibus instructa sit, nimirum 1. veritate, 2. decentia, 3. gravitate, 4. efficacitate, 5. perspicuitate, 6. apta dispositione & 7. brevitate.

THEOREMA LVIII.

VI. Modus imprimendi conciones privatim conscriptas. Ubi notandum, quod adminicula memoriæ nonnulli dividant in Generalia & Specialilia.

Generalia sunt, quæ in quavis materia imprimenda solent, debentq; adhiberi, ut: Temperantia; Justa dieta; exercitatio crebra; Intelligentia rerum; Ordo; Scriptio, meditatio, notæ mnemonicæ & similia.

Specialia sunt, quæ non omnibus, neq; in omni materia conveniunt, ut loca & Imagines.

THEOREMA LIX.

Ex his autem adminiculis Concionator adhibebit cum primis quatuor:

1. *Ordinem*, ubi requiritur partim, ut Ecclesiastes ante omnia textum sacrum, quem vult explicare memoria teneat, & ad singula ejus membra in tota concione respiciat; partim ut dispositionem Concionis memoria comprehendat accuratè, idque vel beneficio tabellæ, vel consignatione dispositionis in margine per certa lemmata.

2. *Scriptionem*, quæ exigit, ut Ecclesiastes concionem, si non quoad omnia, tamen quoad præcipua membra consignet in charta, ut membra Concionis principalia spatiolo quodam interjecto consignet, quo respirationis tempus intelligatur, & locali reminiscentiæ adminiculum quoddam suppeditetur, ut membra præci-

3. *Meditationem*, quæ requirit, ut Ecclesiastes concionem scriptam subinde relegat, ut inter relegendum habeat tranquillū ab aliis cogitationibus, curis & affectibus liberū, animū ut deniq; semetipsum probet, num omnia sint memoriæ impressa, quod fieri potest per concionis repetitionem, vel tacitè in mente, vel pronuntiatione aliqua in Musæo instituta.

4. *Schedam*, quam si quis nolit suæ memoriæ penitus confidere, in ipso concionis actu secum habeat, in qua præcipua concionis Capita consignata ipsi statim exhibeantur.

THEOREMA LX.

VII. *Modus Pronunciandi & agendi, Ubi notari debent tum leges Generales; tum Partes actionis Ecclesiastica.*

Leges actionis Generales has præscribimus.

1. *In tota actione occultanda est humana sapientia.*

2. *Absit à tota actione affectatio, ut omnia videantur nata esse ex representi, & velut ex natura.*

3. *Absit etiam metus & irrepidatio nimia, quæ actionem valdè impedit.*

Liberare autem nos possumus à metu 1. per copiam sermonis, 2. per cogitationem devotam, 3. per cogitationem *παρρησίας*, 4. per firmam impressionem Concionis.

4. *Tandem omnia in voce ac gestu sint verecunda & devota ad docendum movendumq; accommodata.*

THEOREMA LXI.

Partes actionis duæ sunt: Vox & Gestus.

Vox Ecclesiastæ sit 1. naturalis, non affectata. 2. Emendata & à vitiis linguæ omnibus purificata, 3. Chara & alacris, 4. Ornata & suavis, non unisona, sed pro rerum varietate varia, 5. distincta & fluens. 6. Moderata hoc est, neque nimis intensa, vel velox, neque nimis remissa vel tarda. 7. In principio concionis sit submissa & sedata, deinde paulatim assurgat, elevetur & intendatur, donec circa amplificationem & perorationem sit maximè excitata & intensa.

Laut.
Lieblich.
Langsam.

THEO.

THEOREMA LXII.

Gestus est aptus ad perorandum corporis motus vel status. Sit autem Gestus Ecclesiasticus 1. accommodatus ad res sacras, adeoque ad devotionem per omnia compositus. 2. naturam imitans & ab omni affectatione alienus. 3. Decorus & gravis sine deformitate, sine circulatoria levitate & bistrionica gestulatione. 4. Moderatus, ut neque in Excessu neque in defectu peccet. 5. Diversus & pro affectuum rerumque varietate varius.

Est autem Gestus vel Totius corporis vel Certarum partium, de quo sequentes notentur regulae.

1. Status corporis sit erectus, non incurvus aut vacillans. 2. Corpus non sit instar trunci immobile, sed per vices moderate flectatur ad auditores ab utroque latere stantes vel sedentes, sic tamen, ut absit omnis indecora corporis inclinatio, mutatio & vacillatio. 3. Caput secundum naturam sit erectum, omnisque motus indecori & immodici expers, 4. Vultus apte sit compositus & ad exprimendum affectum accommodatus. 5. Oculi sint aperti & moderati mobiles. 6. Humeri sint statim ac quieti. 7. Motus oris, brachiorum & manuum sit decorus & moderatus.

THEOREMA LXIII,

VIII. Modus sese exercendi & conciones habendi, qui sequentibus regulis includi potest.

1. Ad exercitia concionum justo tempore, non nimis mature, nec nimis sero accedendum est.
2. Locus initio ad publica concionum exercitia diligendus est angustior & minus insolens.
3. Inchoandum est à textibus facilioribus, & post pergen- dum ad difficiliore.
4. Dispositiones concionum initio formentur simplices & breves, deinde paulatim progressus fiat ad majora & ornatiore.
5. Exercitia Concionatoria non nimis raro insituantur, sed sepius, ut aliquis possit comparari habitus.
6. Sine devota preceatione & justa premeditatione nunquam suggestum ascendat.
7. Con-

7. *Concionatores optimos quantum fieri potest imitari labores.*

8. *Tandem adhibendus est unus & alter fidelis censor, qui iudicio polleat & defectus indicare possit.*

Quoniam itaque de informatione noveli Concionatoris nunc egimus. Colophonistandem loco placet versus subsequentes annectere teutonicos vel in gratiam nostræ vernaculæ linguæ, vel ne forte quis si consuetudinem curiosè non attendat sibi odiosam prolixitatem innasci temerè quasi patiatur.

Deine Predigt schleuß kurz rund vnd gut /

Lang Predigt höre man mit unmutz.

Ists eine Kunst wol predigen können?

So ist auch eine das Ende finden:

Wer den Schlüssel nicht finden kan /

Der macht verdrossen jederman.

לך יהיה שאהבה נפשי כבוד
לעולם:



Προσφωνησις
Ad

Prestantiss. atq; Literatissimum.

**D. M. Respondentem amicum meum
dilectissimum.**

O *Mne tulit punctum, Sophia qui tollit abusum
In propriumq; usum dirigit omne suum.*

**Hoc CASPARE facis, conamina summa laborum
Theologiae in finem dirigis usq; tuum.**

**Ergo precor felix procedas auspice Christo,
Quo duce sit studii prosperioris iter.**

Gratab. f. à

M. Johanne Scharfio Facult. Phil. Adjuncto.
Hactec

HActenus in *Studiis Sopia* cum sedulus esses
Te nuuc aggredier *sacra*, SAHERE, juvat.
Nempe prius *famulas* ceu munere placat *Amator*,
Optata *domine* qui frui amore cupit
Nec malè: Nam si sic *studium* conjungis *utrumq;*,
Quondam *Philosophus Theologusq;* clues.

M. Christianus Reinhartus Witteberg.

Prestitit *Ægide* quod quondam *Gnosia* filo;
Hoc nobis verbo *Theiologia* suo.

Ergo tuum meritò conatum laudo, SAHERE,
Hujus quod *studiis TE* dare deproperas.

Nam velut illius cælo est inserta corona,

Sic quoq; *TE* in cælis pulcra corolla manet.

gratulabundus adjiciebat

Johannes Burcardus Neelführer

Onoldinus.

Σφάλματα crassiora.

In *Contin.* lin. 1. pro novem l. octo. *Theor.* 2. lege *Disputationum.*
Lit B. fac. 1. pro ἀγνόσις lege ἀγνώσις. *Theor.* 16. lin. 13. lege *brevis &*
succincta. *Theor.* 22. lin. 9. lege *proprijs.* Pro *Theor.* XXIV. lege XXIII. pro
XXV. *Theor.* XL. lin 8. lege *majestati.* *Theo.* LI lege *explicata.* Quæ præterea
occurrunt benignus lector corrigas.

F I N I S.



H. A. in ... cum ...
Nunc ...
Optima ...

Quoniam ...
Cuius ...

Resistit ...
Hoc nobis ...

Ergo ...
Nunc quod ...

Nam ...
Sed ...

gratias ...
BALTHASAR ...

in ...
Et ...

facienda ...
XV ...

M. BALTHASAR ...
FINIS

...


...











COGNITORUM THEO.
LOGICORUM
DISPUTATIO VI.

TRIBUS RE-
QUIS MEDIIS AC-
TÆ COGNITIONIS THE-
CÆ, QUÆ SUNT. I. PRÆLE-
M ALIQUOT PUBLICARUM
ENS ET ASSIDUA AUSCULTA-
II. EXERCITIA DISPUTA-
RIA, ET III. EXERCITIA
CONCIONATORIA.

Quam

Deo Trinuno auspice

SUB PRÆSIDIO

LTHASARIS MEISNERI,

ol. Doct. & Prof. P. Præceptoris sui vultu
quo decet æviternum suspiciendi.

Incluta Wittebergensi Academia

placida collationi subiicit.

ARUS CONRADUS SAHERUS Curiã-
Variscus S. S. Theol. Studiof.

*Addiẽm 27. April. horis pomeridianis
in Collegio Veteri.*

ANNO quo;

anl noVa staglrIta Vin' pVLpIta, LeCtor?

Vra aV/CVLtanDI Vin' noVa Pythagora?

agl Vin' rostra noVa, & CeLslora perICLI?

rostra aqVe; SaCros InſpICe rItẽ Libros.

bergæ, Typis JOHANNIS GORMANNI.